

quadraginta novem cubitis ¹⁾) — cum fragmenta quoque trabium ardentium decidentia ^{e)}), signa quoque metallica miro modo ardendo sponte concrepantia et concrepando ardentia de altitudine ardentis campanarię turris excidissent non solum fracta, verum etiam pęne liquefacta et
 5 taliter prolapsa omni materia coangustatum intra muros basilicę amplius sevirer incendium, arsit simul et ipsa absida cum omnibus ^{f)}) supra dictis ^{g)}), quę intus erant reposita, nimirum leviter et cito pro magnitudine incendii ^{h)}) sicut stipula vel quasi exiguum fęni. Sola autem pixis illa cum corpore dominico incolumis et intacta permansit. Mox ergo
 10 ubi sacerdos iam dictus accessum habere potuit — dolens, ut fatebatur, quia cum turbaretur instante incendio et aliqua exportaret vel exportari faceret, oblitus fuerat tollere corpus dominicum — amovit quantocius congeriem lignorum favillarumque ⁱ⁾) ardentium et introspiciens reperit ^{k)}) hoc insigne miraculum. Protinus excipiens et cunctis videntibus
 15 qui aderant illud fidei nostre sacramentum demonstrans atque divulgans, venit ad me gaudens et suam oblitus negligentiam propter abundantiam letitię, licet non sine tristitię nebula pro ^{l)}) damno quod acciderat. Nox enim quedam adhuc toto die illo erat in cordibus nostris, et quasi gravi somno ^{m)}) pressi mentis nostre oculi nondum valebant prospicere ortum
 20 solis, id est claritatem divinę presentię fulgentem circa nos sive in medio nostrum tribus miraculis, isto pergrandi et ceteris duobus, quę supra narravi ²⁾).

Sequens erat dies dominica, et ego circa horam fere tertiam perrexi et multis sequentibus vel presentibus locum intuitus sum et opus virtutis
 25 consideravi admiratione dignum; cum quo et illud accedebat ad gaudium, quod altare considerabamus inviolatum, cum coherentes altari lapides magni, qui coram strati iacebant, fracti et in frusta divisi essent magnis molibus fragmentorum, id est trabium ab incendio fractarum et ardendo cadentium.

30 **6** Laudare ergo Deum debuimus et apertis magnitudinem virtutum eius declamare vocibus. Sed numquid digne laudare sufficimus? Sunt enim hęc tua Christe miracula. Non dissimilis glorie illi, qua glorificatus es tu cum tribus pueris tuis in medio Babylonię fornacis pronuntiante rege Nabuchodonosor ^{a)}): *Ecce ego video viros quatuor solutos*

5 ^{e)} folgt et B ^{f)} omnibus fehlt B ^{g)} supradicti M ^{h)} incendium AM
 i) favillasque B ^{k)} repperit B ^{l)} pro fehlt M ^{m)} sommo M
 6 ^{a)} Nabugodonor B

1) Dan. 3, 47 2) S. o. c. 3 und 4